

1479

C O D I C E S

1480

rum et Epistolarum dominicalium, de probandis propositionibus tres tractatus, et quam plures alij libri.

IV. fol. 105. Ejusdem de Officio Regis. Initium: Consequenter ad ordinem clericalem restat de militari Ordine pertractandum &c. Ut Cod. CCCXCI. ubi, quod praecedat, Prooemium hic calci subnexum est.

## CCCXCIV.

- 927 Codex chartaceus lat. Sec. XV. exeuntis, aut plane XVI. Folior. 161. 4. commode perscriptus et rubricis enotatus a secunda manu inscriptus est: *Wiclef super Cantica Cantorum*. Retulimus Exemplum vetustius Cod. praeced. quod etiam castigatius videtur. Ita male legit praefens de Petro de Riga, qui expositionem Cantorum versificando in primum librum conclusit. Scribendum erat in parvum librum. Ceterum plura ad Cod. mox cit.

## CCCXCV.

- 917 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 348. 4. per duas columnas bene scriptus, rubricis distinctus, et nescio cui, dono datus Anno 1550. a S. Joanne ex Miesta eo tempore Pastore Zluticensium, qui Provinciae Zatecensis in Bohemia locus est, continet Job. Wiclefi Expositionem in N. T. excepta tamen Apocalypsi, videlicet IV. Evan-

geliorum, Epistolarum Pauli, Actuum Apost. et Epistolarum Canonice. Non memorantur Wiclefi Postilla a Baleo et Tannero; memorantur vero in Catalogis mss. ut videre est Cod. CCCXCIII. nec dubito, ea in praesenti Codice haberi; omnia enim Wiclefium sapiunt, frontique, quamvis a secunda manu, adscriptum legitur: *Vigleff predicator perfectus*. Id tamen noto, Prologum in Matheum Codici praefixum, qui incipit: *Matheus ex Judea sicut in ordine &c. Iste prologus est beati Jeronimi qui diuiditur principaliter in quatuor partes &c. alterius esse, cum in eo ad Republicanorum mentionem verba Wiclefi citentur, addito: Hec Jo. W. Sequitur porro: Incipit Mathei primum capitulum. Liber generationis Ihesu christi — Dimissa diuisione huius libri ne videar frustra verba in vanum profundere &c. Atque hunc ego ipsius Wiclefi Prologum habeo, ex eo etiam, quod ipsa demum Expositio fol. 4. litera picturata initiali ita orditur: *Liber generationis Ihesu christi filij david filij Abraham. Sciendum quod triplex ponitur ratio. quare david premittitur &c. Ceterarum Partium Inscriptiones et Clausulae nil peculiare subpeditant. Postilla in Canonicam Judae finit: nullam dicit essentiam aliquid istorum preter deum.**

## CCCXCVI.

- Codex partim membraneus, 916 partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior.

1481

P O L E M I C I.

1482

Folior. 131. 4. non una manu exaratus et rubricis distinctus exhibet: I. Expositionem in *Apocalypsin*, cui calamus paullo recentior inscripsit: *Jo: Wiclef in carcere anno 1390.* Commentatum fuisse *Wiclefum* in *Apocalypsin* testantur *Baleus*, *Tannerus*, et qui ad *Codicem* nostrum provocat, *Simlerus*, quamvis aliud Commentario initium statuunt; secundum illos enim inquit: *Sanctus apostolus Paulus dicit &c.* secundum nos vero: *Prooemium quidem: Opus arduum valde Apocalypsin videlicet domini nostri ihesu christi ipsius gratia inspirante sumpsi explicandum &c.* Expositio autem: *Appokalipsis ihesu christi. Traditurus Johannes mysteria sibi per angelum reuelata ecclesie catholice &c.* Quis igitur recte? Vel dicemus, *Wiclefum* bis in eundem Librum scripsisse? Eum jam Magnatum et adfectorum patrocinio, jam facta revocatione, jam ipso commoto *Angliae* statu carceres semper effugisse narrant vitae ejus Scriptores, ut habes in *Biographia Brit. Vol. VI. P. 1. a pag. 4257.* At ille in *Prooemio* nostro ita *παράλληλος*: *Johannes relegatus in insulam, que dicitur pathmos, hanc sanctam vidit et scripsit propheticam. Ego ergastulo carceris deputatus ac duplici compede cathenatus ad ipsius (Deest tendo, quod habet Cod. sequens) interpretationem. Ille a domiciano tyranno, ego ab anticristo tollero persecutionem. Ille exilium sorti-*

*tus est propter verbum dei et testimonium ihesu christi, ego, quod tollero, pacior propter predicacionem ewangelij &c.* Addit: *se iam vere solitarium mansisse per triennium et ultra. Quis iterum recte? An Wiclefus se in spiritu solum duplici compede cathenatum vidit? Quod vero annum 1390. in carcere egerit, ut habet memorata inscriptio, falsum norunt, qui eum jam a. 1384. vivis exemptum meminere. Discutiant haec, quibus lubuerit. Ceterum Expositio tota Wiclefum loquitur, et finit: contra omnes aduersarios ignominie crucis sue finaliter triumphabit. Amen.*

II. fol. 131. ἀνεπίγραφος habetur Expositio C. III. *Isaiae* verificulatim: *Auferet ab ierusalem et a iuda validum et fortem &c. Mistic. Auferet dominus a ierusalem i. a religioso, et a iuda i. a secularibus, uel a clericis et laicis validum ad paciendum et fortem ad bellandum &c.* Vocibus rarius occurrentibus, puta: *Annulos, Torques, Monilia, Discriminabilia, Periscelides &c.* additae sunt Glossae bobemicae, et *Versus* memoriales in *Apocalypsin* ex *Epitome* metrica Bibliorum, quae *Alexandro de Villa Dei* tribui solet. An porro *Wiclefus* separatim in hoc *Isaiae* caput commentatus sit, an *Fragmentum* istud ad ejus *Glossas Scripturarum* a *Baleo, Tannero* que memoratas pertineat, ignoro.

S 2

CCCXCVII.